

Terram simul dissecare intelligitur,) interstitio Semidiametri Terrestris I A. inter se distent; in extremitate Mundi tamen, ut plana parallela solent, ob immensam Cœli amplitudinem coincidere videntur.

In Globis vulgaribus *Horizon* plerumq; armillâ ligneâ certis columnulis & pedamento incumbente, (quorum compages *Alveus* dicitur) representari solet, & quidem extra Sphæram, ut DCBD. Fig. 9. In Pancosmo nostro vicem *Horizontis* intra Sphæram sustinet circumferentia velamenti partem inferiorem tegentis: In Globis correctis & perpetuis *Horizon* cum circulo localium complexu circulis immutabilibus externis, sine tamen Sphære contactu, impositus, non alvei, sed coronæ similitudinem refert.

§. 9. Superius Mundi hemisphærium, vel totum simul est conspicuum, vel plus aut minus ejus extat & conspici potest. Totum & solum hemisphærium superius, inferiore toto latente, conspicitur oculo in planitie non impeditâ constituto: Plus apparet, si supra Terræ planitiem elevatus oculus *Horizontem irregularem*, *Declivem* inde dictum, despiciendo designat, partem inferioris hemisphærii simul adprehendens: Minus conspicitur, si depressiori loco constitutus oculus, *Horizontem irregularem*, *Acclivem* inde dictum, suspiciendo detornat.

§. 10. Illic oculus aliquam Terrenæ superficiei partem, quam *Horizontem sensibilem* dicunt, simul conspicit, *Horizontis* cœlestis, quem ejus respectu *Rationalem* adpellant, amplexu comprehensum, qui tantò major est, quantò altior fuerit oculus, licet opticâ visivi anguli contractione semper tantò minor adpareat. Vid. Fig. 5. & Tab. II.

§. 11. Uterque *Horizon*, Cœlestis nim. & ab ipso comprehensus Terrestris, quasi *Basin totius Structuræ mundanæ*, prout à nobis adprehenditur, constituit, cui Cœli pars superior instar fornicis incumbit, qui secundum *Horizontis* tractum (ubi plura corpora distinctè visibilia interposita imaginationi majorem remotionem persuadent) amplior, quàm circa verticem, adparet, unde totius Mundi *Structura* ubique Terrarum *speciem furni* referre solet. Vid. Fig. 39.

III. De